



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VIII. De Confessione Moribundi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS VIII.

De Confessione Moribundi.

- I. Absolvi potest moribundus, etiamsi non possit speciem ullam peccati explicare; remanet tamen in illo onus iterum confitendi, si convalescat.
- II. Potest etiam sub conditione absolvi, si det signa doloris, etiamsi non possulet Absolutionem.
- III. Idque verum videtur, etiamsi signa sint dubia.
- IV. Prudenter in tali casu presumitur, quod ea signa ordinentur ad Confessionem.
- V. Num, & quoties possit iterari similis Absolutio sub conditione, quando moribundus est sensibus destitutus?
- VI. Si absolutio conferatur ex opinione probabili, quod signa illa ad Confessionem ordinentur, conferri potest absolute; secus vero conferenda est sub conditione saltem mente concepta, si de eo dubitetur.

I. **Q**uæritur primo; quænam confessio exigere debeat a moribundo, qui physice non potest confiteri integre? sufficitne, quod dixerit, se multa peccata commisisse, ut si sensibus destituatur, possit absolvi?

Respondeo, Navarr., Sot., & alios negare; quia non explicatur sic species ulla peccati. Sed communissime affirmant cum Rituali Romano; quia habetur confessio, quæ hic, & nunc haberi potest. Adde, etiam extra casum necessitatis satis esse aliquando confessionem peccati in genere, ut valide, & licite conferatur absolutio; puta quando quis recordatur, se peccasse mortaliter, & non recordatur speciem peccati, ut docet D. Th.,

vel si speciem peccati ex justa causa non teneatur fateri; vel si sciat, se peccasse, nesciat autem, utrum mortaliter, an venialiter, & juxta opinionem Dicast. disp. 9. dub. 9., quam supra retulimus, in confessione venialium, aut mortalium alias confessorum, quæ sunt materia voluntaria, non est opus speciem peccati explicare. Esto Suar. velit, spectata proxi Ecclesiæ, debere explicari aliquam peccati speciem in confessione etiam venialium. Cum autem opinio ista Suar. spectet ad valorem Sacramenti, & sit tutior, ea profecto in praxi sequenda est.

Neque dicas, Trident. cap. 8. exigere ad iudicium Sacramentale confessionem, per quam dignoscatur status penitentis; atqui si moribundus diceret, se multa peccata commisisse, non dignosceretur per hanc confessionem status penitentis: ergo talis confessio non sufficit.

Nam cum Lug. respondeo, Trident. loqui, quando absolutio directe, & totaliter confertur, non vero quando indirecte, & cum onere iterum confitendi, ubi opportunitas sese offerat, ut in casu moribundi.

Neque dicas secundo, absolutionem debere directe terminari ad aliquod peccatum in particulari.

Nam respondeo cum Suar. satis esse, si directe terminetur ad offensam Dei ut sic, ut dicere debent omnes in casu adducto, quando quis recordatur, se peccasse mortaliter, & non recordatur speciem peccati.

II. Quæritur secundo; An possit absolvi moribundus, si peccus tundat; vel dicat Miserere, &c., aut alia signa doloris ostendat, quin tamen confessionem petat?

Respondeo, Suar., Vasq., Bonac., & alios apud Leand. quæst. 42. negare; quia hic vere non facit confessionem Sacramentalem; sed communius

cum Laym., Lug. Diana affirmant; quia signa huiusmodi poenitentiae data a moribundo praesumi debent directa ad absolutionem Sacramentalem: Etenim ex communiter contingentibus habetur praesumptio; Communiter autem id contingit; ergo sic praesumi debet; & ad summum tamquam in casu dubio dari potest, atque adeo debet absolutio sub conditione saltem animo retenta, si est capax, & dispositus, ut habet Henr. Quod dicendum etiam, si moribundus ea signa dederit absente confessario, aut nesciens praesentiam illius; quia praesumitur in eo articulo velle remedium optimum, quod potest habere, atque adeo petere absolutionem, si forte statim sit asuturus Confessarius.

III. Confirmatur, quia ex Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8., Joanne Sancio, Dian., potest sub conditione conferri absolutio, quoties dubitatur, num signa poenitentiae edita a moribundo oriantur ex dolore peccatorum, an vero ex angustia, & mœrore naturali morbi: Praesertim quia communiter contingit, Christianos, etiamsi male vixerint, velle in mortis articulo absolutionem, ut salventur; & id eo praesumi potest, ea signa ordinari ad absolutionem petendam; ergo a fortiori idem dicendum, quando in casu nostro non dubitatur, utrum ea signa veri doloris exhibita a moribundo ordinentur ad claves.

Ex quo patet, hoc non esse contra decretum Clem. VIII. prohibentis dare absolutionem absenti. Nam (ut omitam, quod Clemens VIII. interrogatus a Cardinali Bellarmino responderit, se in eo decreto non comprehendisse casum moribundi, qui in absentia Confessarii petit confessionem) certe in casu nostro vere poenitens est praesens confessario, & vere confessionem, quam potest facere, facit praesente illo; nam, ut diximus,

quamvis ea signa sint dubia, utrum sint veri doloris, & utrum sint ordinata ad claves, tamen quia praesumi debet, ea fieri a quolibet Christiano in articulo mortis ad petendam absolutionem, cum hoc communiter contingat; ideo non prohibetur huiusmodi absolutio sub conditione a decreto Clem. VIII.; Et opinionem hanc sustinent Homobonus, Molfes., & alii apud Dian. part. 3. tract. 3. resol. 8., Et probabilem illam censet Tambur. in Methodo Confessionis lib. 2. cap. 11. §. 1. n. 11.: Et quia ea est probabilis saltem ab extrinseco, ideo unusquisque ex charitate tenetur illam sequi, ut consulat salutem moribundi, prout docent Leand. quaest. 47., Caram., & alii contra Dian. part. 1. tract. 6., quaest. 20.

IV. Neque dicas primo, prohiberi in nostris scholis propositionem illam, quae dicit, *Moribundus, etiamsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putet praecessisse sensibilem aliquam Confessionem, absolvi potest*, sed in casibus adductis non potest Sacerdos prudenter putare, quod illa signa sensibilia sint sensibilis aliqua confessio; cum solum hoc sit possibile, non probabile: ergo in casibus adductis non potest moribundus absolvi. Quod ex eo etiam patet, quia non potest conferri Baptismus Turcae moribundo, qui nullum signum det, quo prudenter putari possit, quod petat baptismum, etiamsi pectus tundat, &c. ergo nec Christiano dari potest in simili casu absolutio.

Nam, ut diximus, in casibus adductis prudenter putari potest, quod Christianus ea signa det in ordine ad confessionem, eo quod communiter id contingat; unde non solum est possibile, sed etiam saepe probabile; aut saltem dubium de eo esset prudens: Contra vero in casu Turcae mo-

moribundi; non enim contingere communiter solet, ut Turca moriens velit baptismum: ergo quamvis peccatus tunc, non potest illi baptismus conferri, ne sub conditione quidem; quia non satis est, quod petitio baptismi sit possibilis, sed debet esse probabilis, aut prudenter dubia, ut possit licite cum debita reverentia baptismus conferri: quod certe haberetur in Catechumeno moribundo.

Neque dicas secundo; Rituale Romanum, & Concilia exigunt testimonium fide dignum, quod moribundus confessionem petierit, ut possit absolvi; ergo non satis est presumere, quod signa doloris dubia, quæ dantur a moribundo, ordinentur ad claves, atque adeo non potest absolvi.

Nam contra est; quia vita antea facta veri Christiani, etiam si non inculcata, est sufficiens testimonium, quod iste in articulo mortis velit confessionem. Quibus adde cum Leand., quod si in articulo mortis ministrari possunt moribundo destituto sensibus Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, quia satis est ad ea recipienda, quod per Christianam vitam, quam duxit, ostenderit implicite voluntatem recipiendi ea Sacramenta in articulo mortis, quare etiam in articulo mortis non poterit eidem dari absolutio, quam implicite eodem modo petiit per Christianam vitam; cum ex Rituali adducto possit dari absolutio moribundo, de quo constat voluisse confiteri?

Neque dicas tertio, communiter contingit, ut qui repentino aliquo casu statim destituitur sensibus, nihil cogitet de Confessione, aut de altera vita; ergo cum non possit prudenter putari in tali casu, quod præcesserit aliqua sensibilis confessio, non potest absolutio conferri, etiam si per Christianam vitam implicite absolutionem petierit pro mortis articulo.

Nam primo falsum est, quod communiter non contingat, eos, qui in extremo vitæ agone laborant, ne per modicum quidem tempus mentis compotes esse, unde absolutionem petant iis sensibilibus signis, quæ possunt tunc dare. Secundo, in extrema necessitate Sacramentum ad salutem necessarium conferri potest cum materia dubia, deficiente materia certa; Exempli gratia, potest in articulo mortis dari puero absolutio, quando dubitatur, an habeat usum rationis, an vere peccaverit mortaliter; ergo cum dubitari pariter prudenter possit, an in extremo vitæ, qui verus fidelis fuit, etiam si morum pessimorum, per aliquod temporis spatium mentis compos fuerit, & confessionem petierit; quare non potest illi sub conditione conferri absolutio? Cum præsertim in hac opinione sint Homobonus, Lezana, Aversa, Molfesius, Faustus, Naldus, Baldellus, & alii plurimi apud Pelliz. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 114., qui testatur Suarium doctrinam hanc & docuisse, & in praxim deduxisse, ut videre est apud Dian. part. 9. tract. 60. resol. 20., & Leand. disp. 5. quest. 46.

V. Quod diximus de absolutione primo conferenda, dicendum pariter de absolutione iteranda eidem moribundo. Certum enim est, non posse iterari formam absolutoriam, non iterata materia proxima, seu dolore, & confessione peccatorum. Tunc itaque potest iterari moribundo absolutio, quando prudenter dubitari potest, quod dolorem, & sensibilem confessionem iterarit.

VI. Quæritur tertio, Utrum in his casibus absolutio possit dari absolute, an dari debeat sub conditione?

Respondeo, Suar., & Bonac. velle, quod sub conditione saltem mente concepta proferatur absolutio; Vasq. vero, Dian., Lug., quod absolute.

solute; Sed videtur distinguendum; Nam si absolvitur moribundus ex opinione probabili, potest dari absolute, quia ratio probabilis satis est ad prudenter operandum: Contra vero, si absolvitur sub dubio, dari debet conditionate: sicut si absolvatur puer, de quo dubitatur, an habeat usum rationis.

ARTICULUS IX.

Quando, & quomodo repetenda sit Confessio?

- I. Confessio, siue fuerit invalida ex parte Pœnitentis, siue ex parte Confessarii, repetenda est.
- II. Num singula mortalia distincte recolenda sint, quando repetitur confessio invalida?
- III. Quid si confessarius excommunicatione innodatus absolverit?
- IV. Quid si absolverit a reservatis carens facultate absolvendi ab illis?
- V. Si dubites prudenter, quod ille semidormiens aliquid mortale audierit, teneris illud repetere.
- VI. Si certum sit, Confessarium plures Confessiones semidormiendo audivisse, & dubites, an sic audierit tuam, non teneris illam repetere, si non prudenter de hoc dubites.
- VII. Si scias, Parochum pluries sine intentione debita Baptismum contulisse, quid tibi faciendum, si dubites, an tali pacto fueris baptizatus?

I. **Q**Uæritur primo; Quando confessio sit repetenda?

Respondeo, Confessionem mortaliū repetendam, quotiescumque fuit invalida. Potest autem esse invalida tum ex parte pœnitentis, tum ex parte confessarii. Ex parte pœnitentis est invalida, si desit legitimus dolor, semper autem legitimus dolor desit,

quando pœnitens in ipsa confessione peccatum grave aliquod committit, puta si sciens, & volens omittat integritatem materialem, ad quam tenetur; vel si omittat peccatum, cuius non recordatur ex defectu examinis graviter culpabili; si confiteatur ob finem mortaliter malum, ver. gra. ad furandum; si graviter mentiatur circa mortalia; si sponte quæserit confessarium indoctum, vel furdastrum, vel semidormientem, qui nesciat inter mortale, & veniale discernere; Præterea si memor excommunicationis siue majoris, siue minoris malitiose illam reticeat; Etenim quamvis existimem cum communiore sententia contra Vasq., quod excommunicatio invincibiliter ignorata non impediat absolutionem a peccatis; At si consulto reticeatur sine causa excusante, procul dubio impedit Sacramentum propter peccatum, quod committitur in reticendo.

Ex parte Confessarii est invalida confessio ex defectu vel Ordinis, vel Jurisdictionis; vel si omittat absolvere; aut non habeat intentionem absolvendi; vel si non intellexit mortalia propter somnum, vel inadvertentiam; vel quia non habet sufficientem scientiam ea discernendi; Quamvis non sit necesse de omnibus posse certo discernere, num sit mortale, an veniale, ut dicemus, cum de Scientia Confessarii.

II. Quæritur secundo; Quomodo repetenda sit confessio invalida?

Respondeo primo, si confessio fuit invalida ex defectu pœnitentis, debet hic confiteri suum sacrilegium, quando defectus fuit voluntarius, & accusare se iterum de omnibus mortalibus in ea confessione confessis in confuso, dummodo eorum confusam cognitionem retineat confessarius; Aliter debet distincte iterum ea repetere, ut communiter docent Doctores contra Gra-